



Carolus Nepos Botuıldı Regis Sueonum extitit. Is post parentum funera magno hominum applausu Rex constitutus fuit. Eius gesta adeò præclara & magnifica fuerunt, vt meritò cū optimis Regibus conferri posset. Tanta moderatione enim regnum gubernauit, vt non modò Rex verum & pater patriæ diceretur. Proceres enim loco fratrū, alios suos filios reputabat. Itaq; alios ad honores euehebat, alijs tributa laxabat, & legum per ignorantiam transgressores clementer increpabat. Si qui verò per malitiā peccarant, eos adeò seueriter castigabat, vt alijs exemplo es-
 sent. Hinc factum vt Principis optimi mores populus imitaretur. Hic Carolus inter alias leges sanciuit, vt Gothi ac Sueci inter se & omnes peregrinos hospitalitatem obseruarent, & pro magno scele-
 re duceretur, viatorem à tecto arcere. Quod si quis id facere tentasset, & idoneis testibus ter negasse hospitium conuictus esset, immisso igne eius aedes comburi iussit. Vnde etiam factum, vt hospitalitatis iura semper apud Sueones & Goths inuiolata manserint. Hoc modo summa pace ad fœlicem senectutem Carolus peruenit, atq; à nullo alio quam Tordono Noruegiano bello lacepsitus fuit. Verum is in aciem progressus manibus Caroli percussus oc-
 cubuit. Cum hac ratione diu præfuissest, tandem obiit, & magnum sui desiderium reliquit. Clariuit is circa annum mundi termillesimum quingentesi-
 sum sexagesimum. Ioan. Mag. Hist. Goth. & Sueonum lib. 4. cap. .